



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 An forma, dum ex materia educitur, per se fiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

SECTIO IV.

An forma, dum ex materia educitur,
per se fiat.



MÆdificultas oritur ex superioribus, & ad eas magis explicandas conferret. Nam cum dictum sit, educationem esse actionem, quã ita fit forma in materia dependenter ab illa, ut per eam actionem non fiat ipsa materia: inde sequi videtur per talem actionem solam formã, per se primo fieri, quod repugnat Arist. 7. Metaph. tex. 26. & 27. & lib. 8. tex. 4. Sequela patet, quia per illam actionẽ sola formã secundum se totam educitur de nõ esse ad esse: totum autem non fit, nisi quatenus coalescit ex partibus iam factis: ergo forma est quã fit, & prius, & proprius. Prius quidẽ, quia, ut totum ex partibus componatur, oportet, ut partes supponatur habẽtes esse. Proprius vero, quia id, quod secundum suam entitatem educitur de non esse ad esse, proprius fit, quam quod solum componitur ex iam existentibus.

In hac re prior sententia admittit, quod ratio facta probare videtur, formam proprie ac per se fieri: ita sumitur ex Alberto 2. de anim. tract. 1. capit. 1. & 3. ubi ait, quod inter hæc tria, materiam, formam, & compositum formã proprie & primo est ens, quod etiã late defendit Zimarã Theorem. 20. Alii distinguunt duas actiones, etiam in effectiõne formarum materialium. Vnam, quã fit forma, aliam, quã vnitur: & de priori concedunt per se primo terminari ad formam, licet posterior terminetur primario ad compositum. Hæc opinio sumitur ex Durando 2. distinct. 1. quæst. 4. ad ultimum.

Quæstionis resolutio.

VTraque tamen sententia falsa est. Et de hac quidem posteriori dicemus late infra, explicando varios modos causandi efficiẽtis causã. Nunc sufficiat contra illam ratio, quã ex hætenus dictis facile colligi potest, nam formæ materiales (de his enim tantum est sermo) non sunt etiam quoad entitatem suam sine concursu materiali subiecti, sed subiectum non insluit in formam, nisi quatenus sibi vnitur, ut constat ex dictis supra de materiali causa: ergo non potest talis forma fieri per aliquam actionem, quã non fit vnitiua formæ ad subiectum, non possunt enim ibi duæ actiones secundum rem distingui, sed solum secundum rationem, vel in adæquatos conceptus, vel ad summum secundum partes, quæ essentialiter inter se coniunctæ sint, ut dicto loco declarabimus.

Prior vero sententia repugnat re vera Aristoteli citatis locis, quem sequuntur Commentator. eisdem locis, & 12. Metaph. commento 12. & 18. & D. Thom. ibidem, & 1. part. quæst. 45. artic. 4. & 8. ubi solutione ad primum addit, formas non fieri per se, sed per accidens tantum, quod est sano modo intelligendum, late vtendo verbo *per accidens*, prout idem est, quod cum alio: proprius vero dicitur forma hæc congenerari, ut idem D. Thom. significat in illo artic. 4. q. 65. artic. 4. Idem tenet expresse Scot. 7. Metaph. q. 10. Anton. Andr. q. 9. Zimarã Theorem. 100. Soncin. 7. Metaph. q. 23. Ratio autem est, quia eius est per se primo fieri, cuius est esse, cum fieri tendat ad esse: sed id proprie est, quod subsistit: ergo id proprie fit, sed hæc formæ non subsistunt, sed composita ex ipsis: ergo ad composita proprie & principaliter terminatur actio. Confirmatur, nam actio est vna, ut supponimus: ergo & terminus adæquatus est vnus, sed hic non potest esse forma, quia compositum re vera fit, & non est forma: ergo. Maioris autem claritatis gratia distingui solet duplex terminus, scilicet, ut quod,

Ee & vt

mus, ibi commodius difficultatem hanc explicabimus.

Quinta vero ratio petit difficultatem aliam de modis substantialibus, an scilicet dicendi sint educi de potentia subiecti, ut verbi gratia, subsistentia de potentia seu capacitã naturæ, quam terminat, & idem est de modo vnionis formæ respectu potentie ipsius formæ, vel subiecti, imo & de generatione ipsa substantiali quæri potest, an educatur de potentia materiz. De quibus omnibus breuiter dicentia materiz. Dum est in illis esse quendam modum, vel participationem educationis, non tamen ita proprie illis conuenire, sicut formæ substantiali: subsistentia enim non fit per propriam actionem: & præterea non proprie informat, & consequenter non comparatur ad naturam, ut ad subiectum, & propriam materialẽ causam, quare ex hac parte non dicitur proprie educi: in hoc autem imitatur educationem, quod in suo esse & fieri, qualecunque illud sit, omnino pendet à natura, quam per se terminat, & suo modo actuat, ut latius declarauimus infra, tractando de subsistentia. Generatio item substantialis non tam fit, quam est via, per quam fit substantia: unde non tam educitur, quam est ipsa educitio: eo tamen modo, quo ipsa generatio fit, dum per eam fit terminus etiam ipsa educitur de potentia materiz, à qua materialiter causatur, ut supra dictum est, & ab ipsa essentialiter pendet in fieri, & in esse, quæ duo in generatione idem sunt. Denique idem iudicium est de vnione formæ ad materiam, quæ tamen non per se educitur, sed educitur forma ut vnita materiz, & scietiam (ut ita dicam) coeducitur ipsa vnio. Quod quidem recte dici videtur in materialibus formis.

In anima vero rationali habet peculiarem difficultatem, quia ex vna parte videtur educi illa vnio, quia fit per se, per propriam actionem, distinctam ab ea, quã fit forma: dico autem vnionem per se fieri, ut formalem terminum, nam adæquatus est homini: id autem satis est ad propriam educationem, quia, vt statim dicemus, forma nunquam est per se terminus actionis, nisi formalis, & ut quæ: illa ergo vnio animæ ad corpus proprie, ac per se educitur. Item, essentialiter pendet in fieri, & in esse à corpore, ut à materiali causa: ergo proprie educitur. In contrarium vero est, quia illa vnio est modus quidam spiritalis: ergo non potest educi de potentia materiz, magis quam ipsa anima. Patet consequentia, quia repugnat rem spiritualemente contineri in potentia materiz. Antecedens vero patet, quia ille modus proxime afficit animam ipsam, quam vnit materiz: est ergo illi proportionatus, & consequenter spiritalis, sicut ipsa est. Et confirmatur, quia si forma non continetur in potentia materiz: neque vnio contineri potest, quia vnio non est, nisi modus formæ: ergo, si forma non educitur, neque vnio educi potest. Ad hoc dicendum est, hunc modum vnionis esse veluti medium quoddam, seu vinculum inter formam & materiam, & ideo vtramque attingere, & aliquantulum afficere: & ideo ab vtraque pendere in fieri, & in esse. Quo fit, ut hic modus animæ rationalis, licet in sua entitate spiritalis sit, conditiones tamen participet rei materialis, quia & à materia omnino pendet, & illi suo modo coextenditur, quamuis ex parte animæ extensionem non habeat. Propter hanc ergo causam, potest ille modus educi de potentia materiz, quamuis non adæquate, neque primario ex sola illa, nam educitur etiam de potentia ipsiusmet animæ, quam per se primo afficit, & vnitur materiæ.

Duplex a-
ctionis ter-
minus.

& ut quo, seu qui absolute fit, vel quo aliud fit: Compositum ergo est terminus qui, seu ut quod: quia illud per se primo fit, nam illud maxime intenditur per generationem, & in id ultimatè terminatur generatio: & à simili patet in artificialibus, nam domus est, quæ per se primo edificatur, &c. Terminus autem quo, est forma, quia fit, ut per eam compositum cõstituatur. Vnde, quia verbum educi proprie tantum indicat habitudinem ad hunc terminum quo, ideo proprie ac simpliciter dicitur forma educi de potentia materiæ, non autem compositum: verbum autem generari aut fieri, dicit habitudinem principalem ad id, quod est, vel quod fit: & ideo simpliciter dicitur de forma, & non de materia.

V.

Ad argumentum in contrarium respondetur, negando sequelam, quia loquendo de ordine temporis, non prius fit forma, quam compositum, neque e converso. Loquendo autem de ordine naturæ, compositum non solum prius fit, sed etiam absolute illud solum fit per hanc actionem: forma vero solum consistit. Et quamvis demus, in aliquo genere causæ formam prius natura educi, quasi ordine executionis, absolute tamen non intelligitur terminata actio, nec factum id, quod per se primo intenditur donec sit totum compositum. Nec refert, quod aliqua pars compositi supponatur, & non formæ: oportet enim quatuor genera actionum distinguere: quædam enim est actio productiva tantum, & non vnitiva, & hæc semper terminatur ad rem simplicem: & ideo ex se terminari potest ad entitatem partialem, si nata sit hoc modo produci, & talis est creatio animæ rationalis, atq; idem est de creatione materiæ primæ, ut opinor. Alia est actio vnitiva tantum, & non productiva componentium, ut est generatio hominis, & hæc sine controuersia terminatur tantum ad compositum ut quod, & ad vniõnem ut quo. Rursus, est alia actio ita productiva alicuius compositi, ut simul fit vnitiva & comproductiva omnium componentium: & huiusmodi est creatio cœli, quam constat per se primo terminari ad compositum, concomitanter vero ad materiam & formam. Alia deniq; est actio simul vnitiva, & comproductiva alterius partis componentis ex præsuppositione alterius, & huiusmodi est actioeductiva, de qua nunc agimus, & ideo non est de eius ratione, ut ipsius adæquatius terminus ita fiat de nouo, ut nulla eius pars præsupponatur esse.

VI.

Atq; hinc obiter colligitur, hanc sententiam non solum in substantialibus formis, sed etiam in accidentalibus veram esse, etiam si Scotus supra, Anton. Andr. & alii oppositum significent, eo quod ex accidente, & subiecto fiat vnum per accidens, quod non videtur posse fieri per actionem, & causalitatem per se. Sed sententia proposita vera est, nam Aristot. vniuersaliter loquitur: & maxime adhibet exempla in accidentibus. Ac tandem in tex. 32. expresse & in particulari hoc docet de formis accidentalibus. Nam (ut ibidem ait) ratio eadem est, quia multo magis accidentia non per se fiunt, sed ut vnita subiectis, & ex illis. Nec refert, quod sint entia per accidens, nã realem, & veram, ac Phisicam compositionem habent, quam per se includit illa actio, & ideo per illam fit per se primo compositum accidentale: nam & actio ipsa accidentalis est.

SECTIO V.

Quæ sit propria ratio formæ substantialis, propriæque causalitas eius in suo genere.

I.
Descriptio
formæ in
genere.



Ex dictis de existentia formæ substantialis, & de modo quo fit, facile intelligi potest, quid ipsa sit, & quem modum causandi habeat: vtrumq; autem hac breui descriptione comprehen-

dere possumus. Forma est substantia quædam simplex & incompleta, quæ ut actus materiæ cū ea constituit essentiam substantiæ compositæ. In qua descriptione substantia ponitur loco generis eo modo, quo à Philosopho distinguitur in materiam, formam, & compositum. Et per eam particulam distinguitur hæc forma ab accidentalibus, quæ substantiæ non sunt, distingui etiam potest à modis substantialibus: nam licet hi ad prædicamentum substantiæ reuocentur, non tamen sunt substantiæ in ea proprietate: unde neq; ab Arist. in ea partitione enumerantur, quia non sunt proprie entitates substantiales, vt est forma, quæ hac ratione substantia dicitur. Additur vero simplex & incompleta, vt per priorem particulam à composita substantia separaretur: per posteriorem vero à substantiis separatis, quæ interdum vocari solent formæ assistentes, vt illæ, quæ mouent corpora cœlestia, quæ re vera non exercent munus causæ formalis, sed efficientiam aliquam: quare non sunt formæ substantiales, prout nunc de illis loquimur.

Reliqua pars definitionis distinguit formam à materia, quæ etiam est substantia simplex, & incompleta, tamē vt potentia: forma vero vt primarius actus illius potentie. Et ideo Aristot. 2. de anima definit, animam esse Actum corporis Phisici, &c. Quæ definitio potest facile ad formam in communi accommodari, si nomine actus substantialem actum intelligamus, vt intelligi debet, & solum dicamus formam esse actum corporis Phisici, reliquam partem auferendo, quæ animam fecerit à formis inanimatarum. Possumus autem per corpus Phisicum intelligere, vel materiam ipsam, quatenus est altera pars compositi naturalis, quæ vt forma informetur, semper supponitur, ordine naturæ in suo genere causæ, quantitate, & aliquibus proximis dispositionibus affecta: & ea ratione corpus Phisicum appellari potest. Vel etiam possumus per corpus Phisicum ens ipsum naturale intelligere, quod ex materia & forma constat: cuius actus dicitur forma, tanquam cõstitutens illud: quomodo etiam Aristot. definit esse Actum viuens, seu quo viuimus. Veramque igitur habitudinem in dicta parte nostræ descriptionis explicuimus: nam forma substantialis, ita est substantia incompleta, vt sit actus materiæ: actus (inquam) vel actu informans, vel natura sua institutus ad informandam materiam, nam verba (ut aiunt) in definitionibus dicunt aptitudinē & ita comprehenditur anima rationalis, etiam si corpore separata sit. Et hinc consequenter habet, vt cum materia componat essentiam entis naturalis, quod est substantia composita: & ideo Arist. 1. Phis. ca. 3. ait, formam esse essentia seu quidditatis rationem, id est, quæ compositi naturalis essentiam complet, & ab aliis essentialiter ac quidditative eam distinguit. Atq; hinc explicata etiam est causalitas formæ: nã quia forma essentialiter est actus, ideo includit intrinsecè habitudinem transcendentalem ad id cuius est actus, & ad actuationem, quam in illud exercet: ideoq; vix potest ratio formæ, nisi per habitudinem ad eius causalitatem, declarari. In qua possumus quatuor illa considerare, quæ in omni causa spectamus, scilicet formale principium causandi, conditionem necessariam ad causandum, causationem ipsam, & effectum qui causatur, quæ omnia sigillatim explicanda sunt, sicut in materia fecimus, licet suppositis quæ ibi diximus, breuius hic expediri possint.

SECTIO VI.

Quæ sit ratio causandi formam



Ria sub hoc titulo complecti possumus, scilicet principium causandi, quod fit veluti actus primus, conditiones necessarias ad sic causandum, & causalitatem illam in actu secundo.

Quoad